



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1631**

suit Pilato presentatus. Artic. XXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

VI

his & ignotis peccatis, quod per quamgratum illi esse, dubium non est. Porro quod ad nos attinet, hoc obseruemus, ne nos Christu à nouo cruciemus, ne opprobria à ludæis perfidis illata renouemus: quod fit, dū illi ingrati sumus pro tanto amore, quo tanta opprobria pro nobis sustinere dignatus est, cum illius mandata, consilia & monita cōtemnentes, spontē ac deliberata voluntate in peccata ruimus, nec de his ex corde pœnitentes cōsuetudinem malam facimus: & ex consuetudine mala, peccandi mortem introducimus in animam. Mors autem animæ, gehennæ nos facit obnoxios, à qua nos liberet Christus Iesus Dominus noster.

Opprobria  
quenam my-  
stico Chri-  
sto irogan-  
tur.

Hora Prima hic incipit, continens in se  
Articulos quinque.

IESVS FUIT PILATO PRÆSEN-  
tatus. *Articulus XXXII.*

**M**anē autem factō, & vt factus dies est, conuenerunt omnes principes Iudæorum, & seniores plebis, & concilium inierunt aduersus Iesum, vt eum morti traderent. In nocte in primo concilio, in quo non omnes præsentēs fuerant, damnauerant eum esse mortis: inde seniores & principes iuerant dormitum vsque manē, relinquentes Iesum inter ministros pessimos illudendum. Sed manē omnibus præsentibus concilium ineuntes, tractabant, quomodo eum Pilato præsentarent, & in quo accusarent eum, vt perducerent eum à vita ad mortem. *Duxerunt ergo eum in concilium suū dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illi: Si vobis dixerō, non credetis mihi. Si autē & interrogauerō, non respōdebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autē erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo Filius Dei es? Qui ait: Vos dicitis: quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimoniū? Ipsi enim audiuius ex ore eius. Et surgens omnis multitudo eorū cum vniuerso concilio, vincientes Iesum vincitum duxerunt illum, & tradiderunt eum Pontio Pilato præsidē. Hæc ductio Iesu erat prædictis grauior, quia ducebatur ad præsidem gentilem, cui concessa erat plena potestas interficiendi. Ducebatur autem tanquàm pessimus latro, iudicatus ad mortem, vincētis manibus post tergum (sicut multi scribunt) licet consuetudo habeat pictorum, vt pingat quod manus ligatas habeat ante se. Habuit etiam in collo longam catenam, quam vix poterat portare. Discamus hic miram patientiam & obedientiam Christi. Ipse permittit se duci, & vadit quo volunt, de iudice ad iudicem. Habeamus etiam ex hoc Articulo memoriale, quomodo præparamur ad aduentum districti iudicis nostri, & cogitemus quid possimus respondere pro obiectis. Habeamus enim multos accusatores, qui comitantur nos, & clamabūt ante iudicem: diabolū, cui obediuius; Deum, cuius præcepta contempsimus; Angelum, cuius directionem & instructionem recepimus: propriam conscientiam, cuius remorsum & offensam non audiuius, vel non curauimus.*

Math. 26.  
Marc. 15.  
Lucæ 22.

Math. 26.  
Marc. 14.

Math. 26.  
Marc. 15.  
Lucæ 22.

Ductio hæc  
qualis quam-  
que fuerit  
pœnitentiæ.

Patientia &  
obediencia  
Christi quæ-  
ta ex hoc Ar-  
ticulo cla-  
rescat.

Accusatores  
nostri ante  
tribunal qui-  
nam eruat.

IESVS FUIT INIQUE ACCUSA-  
tus. *Articulus XXXIII.*

OO Adducunt